



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 176. Æneæ Sylvii oratio ad Papam nomine Cæsaris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

neam Sylvium, & Joannem Hinderba- Sæcul. XV.
 chium celebrem Juris consultum, quo- A.C. 1455.
 rum primus Cæsaris nomine coram Papa
 verba fecit, pari applausu cum eo, quem
 sibi jam in alijs ejusmodi occasionibus
 conciliaverat. Nec tamen deerant, qui
 Cæsari suadebant, ne prius ad profiten-
 dam Pontifici obedientiam Legatos de-
 cerneret, quam ipse conventa pacta cum
 Eugenio IV. erecta revocaret, ac Natio
 Germanica libertatem ac privilegia sua
 circa beneficiorum collationes conseque-
 retur.

§. CLXXVI.

Æneæ Sylvii Oratio ad Papam nomine Cæsaris.

Æneas Sylvius ad Papam, & Cardina-
 les orationem habuit, in qua expo-
 nebat, necesse esse, ut Turcæ omnibus
 viribus opprimerentur, atque Hungaria
 ab eorum invasionibus jamjam regno im-
 pendentibus protegeretur. His subjun-
 xit, Christianos armorum potentia Tur-
 cis longe prævalere; dummodo Sancti-
 tas sua recto agminum ordini prospiceret;
 Imperatorem omnem quoque opem ap-
 promittere, Alphonsum itidem Arrago-
 niæ Regem ad hoc bellum strenue susci-
 piendum paratas jam habere copias, nec
 quicquam Philippo Burgundiæ Duci
 cordi magis esse, quam arma Turcis in-

F f 2 ferre.

Sæcul. XV.
A. C. 1455.

ferre. Addebat, in Germania plures Principes adversus Infideles voti etiam religione sese obstrinxisse; Carolum Gallicarum Regem a suorum Prædecessorum vestigiis haud recessurum, nec Anglos operi huic defuturos; a Castellanis quoque & Lusitanis, ceterisque nationibus nonnisi tempus expectari, quo summus Pontifex pro fidei defensione pugnam inchoari juberet; reliquum itaque tantummodo esse, ut Sanctitas sua omnium fidelium vota secundet, aperiatque Ecclesiæ thesaurum, ac denique Viros mitat, qui messem colligant. Verum omnes istæ amplissimæ Principum pollicitationes caruerunt successu, solusque Pontifex muneri suo strenue intentus erat.

§. CLXXVII.

Simultates Papam inter & Alphonsum.

Æn. Sylv.
Europ. c. 58.

Omnium primus promissi fidem violavit Alphonsus Arragonum Rex, & Neapolitani Regni possessor. Hic cum Callisto haud aliter, ac esset sibi similis, agere, Papamque sibi quodammodo subjectum reddere moliebatur; unde missis ad eum Legatis ab illo sciscitabatur: an in pace cum eo vivere vellet? Papa non nihil hoc quæsito commotus respondit. *Regna sua ipse regat, milii summi Apostolatus regimen relinquat.* Ex illo tempore